



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

503. An Electores agere possint in iudicio appellationis pro confirmatione electionis cassatæ, electo secum non agente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

est, Electores per solam electionem non confirmatam ita plenè functos officio suo, quin hoc ipsum officium necesse habeat perfici, non solum per petitionem & prosecutionem confirmationis, sed ipsa confirmatione. Unde jus habent petendi confirmationem propriam electionis, eamque prosequendi ac defendendi coram confirmatore. Pass. *cit. c. 34. n. 23.* citans Innoc. in *c. dilectus. de prob. n. 3. & 4.* Abb. in *c. dudum. de elect. n. 4.* Bald. in *c. postquam. de elect. n. 6.* Castell. de *elect. c. 5. n. 63.*

Questio 301. An, & qualiter quilibet Electorum, vel etiam aliorum de collegio, conventu, communitate, appellare possit à confirmatione vel cassatione electionis?

Respondeo: distinguendum hic esse interesse communitatis, & interesse cuilibet proprium. Ac primò quidem, ubi interesse est commune, quilibet de communitate (nisi fortè à tota communitate mandatum procurare haberet) non potest in iudicio agere & petere, alijs seu maiore parte eorum iuste nolentibus petere; cum in iis, quæ ad communitatem spectant, standum sit majoris partis determinationi, dum illa non iniuste quid decernit. Pass. *cit. c. 34. n. 25. & c. cupientes.* ubi constituitur, ut Electores per procuratores suos ex iisdem Electoribus acceptos negotium electionis prosequantur: nequaquam tamen datur singulis de capitulo facultas agendi nomine proprio pro confirmatione electi; quia jus, quod habent Electores ad prosequendam confirmationem, non est proprium singulorum; sed est collegii. Pass. *cit. n. 25.*

2. Sed & si facta est iniustitia communitati, si hac est talis, quam major pars potest iuste condonare, & condonet, non remanet huic vel illi, vel minori parti jus prosequendi injuriam. Et quia in cassatione electionis digni iniusta offensa non est facta populo, utpote qui non habet jus magis, ut illi præsit hic dignus, quam alius dignus. Nec etiam facta est injuria alicui particulari Electori, cum jus prosequendi electionem non competat ei ex jure proprio, sed quia elector est, & ex jure collegii. Injuria quoque quam collegium recipit ex iniusta illa cassatione, est talis, quæ, si electio iterum redit ad collegium, potest iuste remitti: hinc si electio cassatur, & collegium Electorum pro maiore parte injuriam remittat, non est, unde vel populus, vel conventus, vel hic aut ille particularis, etiã Elector, appellare possit; quia non remanet iniuste gravatus. Pass. *cit. n. 25.* Secundò, ubi quis ex confirmatione vel ejus cassatione habet interesse proprium, seu obvenit alicui propria aliqua utilitas vel damnum, videndum est, an habeat jus ad illam utilitatem, & num damnum sit iniustum. Nam si utilitas etiam de cetero maxima, quæ potest ex confirmatione provenire, huic vel illi particulari Electori, vel personæ de conventu, v. g. quòd electus seu confirmandus sit ejus consanguineus, non est debita, non potest quis pro illa utilitate, utpote non debita, agere in iudicio, adeoque si cassetur electio, non potest appellare; quia nulla ei facta injuria. Pass. *loc. cit.* Quòd si verò alicui particulari, non tantum Electori, sed etiam cuilibet de populo iniustum imminet damnum (uti id facile contingere potest, v. g. si princeps iuste timeat damnum ab electo, & quòd hostibus manifestabit & proderet secreta regni & principem) ratione cujus uti porit excipere contra electionem, sic eum posse à data confirmatione appellare, tradit *cit. n. 25.*, Pass.

Questio 302. Virum Electores valide appellare possint à cassatione electionis legitima, ubi electus non habet jus ad confirmationem?

Respondeo primò: ubi electus legitime ex delicto non habet jus ad confirmationem, v. g. ubi electus de ceterò dignus in pœnam superventis post electionem negligentia aut alterius defectus alicujus privatus est jure per electionem quæsito ad confirmationem, non possunt valide appellare à cassatione electionis; quia jam electus ab iis, non est confirmabilis, sed indignus confirmatione; adeoque frustra & iniuste Electores tentant & prosequuntur confirmationem illius. Pass. *cit. c. 34. n. 26.* Idemque est, si electus electioni non consenserit, vel ei renunciavit, nolens esse Prælati; dum enim is cogi nequit ad instantiam Electorum, ut electioni consentiat, ubi consentire renuit, nec ejus electio ex iustitia confirmari debet; nec Electores iudicè instare ut confirmetur. Pass. *ibid.*

2. Respondeo secundò: si verò electus ex lege vel statuto aliquo non habet jus ad confirmationem (intellige, quia jus nullum acquisivit per legitimam etiam electionem) ita tamen, ut possit ac debeat confirmari, si sit dignus, Electores possunt validè ac iuste appellare à cassatione electionis, utpote à jure habentes jus petendi electi confirmationem, & defendendi factam à se electionem. Pass. *cit. n. 26.* siquidem electio est Electorum veluti partus, committiturque Ecclesie Electoribus electionem, confidens eorum prudentia ac zelo: unde eorum est honor vel vituperium, si bene vel male eligant, adeoque non solum ex lege positiva, sed & ex naturali habent jus petendi confirmationem electi, & defendendi electionem per ipsos celebratam, in quantum quisque propria defendere potest, & perfectionem operi suo debitam iuste prætere. Pass. *n. 27.* dicens, quòd Electores ex jure sibi proprio, & à jure electi distincto petere possunt confirmationem, & eam contra impugnantes defendere per viam appellationis, supponere communissimè DD. & probari per praxim Ecclesie, & sacrarum Congregationum Romæ admittentium, & judicantium istiusmodi appellationes. Unde etiam ab Electoribus, ubi timent cassandam celebratam à se electionem, pro cautela ad hoc, ut si contingat eam cassari, non possit fieri nova provisio eis inauditis, literis petitionis confirmationis inferendam hanc protestationem & appellationem: quam confirmationem sperant à Benignitate N. obtinere: quòd si secus fiat, protestantur velle audiri, & ex nunc appellant ad Sedem Apostolicam: tradit Pass. *loc. cit. ex Peyr. in formular. lit. c. c. 18. n. ult.*

Questio 303. An ergo Electores agere possint in iudicio appellationis pro confirmatione electionis cassatæ, electo secum non agente?

Respondeo primò: ubi agitur de electione cassata expressè ob defectum formæ, sufficit electum aliàs non habentem jus ad confirmationem habere se negativè, hoc est, ut non petat, nec rejiciat, quòd Electores agant pro ejus confirmatione; eò quòd tunc electus in ea causa non habet interesse, & soli Electores appellantes sunt actores. Pass. *n. 28.*

2. Respondeo secundò: si agatur de electione cassata ex defectu electi, non possunt procedere Electores,

tores, secum non agente electo, utpote de cuius maximo præjudicio agitur; vel saltem eo non citato comparente per se, vel suum procuratorem. Contingere enim posset, ut dum causa non est expressa, electus ad declinandam majorem confusio-nem mallet causam in iudicio appellationis non expediri, quàm electionem sui confirmari. Pass. cit. num. 28.

Questio 304. An, ubi electus non habet jus ad petendam confirmationem ex speciali quodam statuto, nec tamen etiam confirmatione privandus possit appellare à cassatione electionis, dum ea cassatur ex defectu electi?

1. **R**espondeo: id eum posse, si injuste cassetur Rex ejus defectu; quia ut dictum supra, cassatione electionis ob defectum electi is manet infamis infamia facti, & ineligibilis, adeoque si injuste ex tali causa cassetur, injustè læditur. Pass. num. 29. Unde secus dicendum, seu non posse talem non habentem jus ad petendam confirmationem, appellare, ubi defectus, ob quem cassatur electio, talis non est, ut infamet, aut notabiliter noceat, v. g. quia præsumitur electus ille ad tempus infirmus. Pass. num. 30.

2. De cetero dici non potest, in hoc casu remanentis ex cassatione infamiae & ineligibilitatis, talem non posse appellare à cassatione electionis, seu à negata confirmatione, utpote ad quam non habet jus; sed à causa cassationis, quam solam examinare pertinebit ad Judicem ad quem, cassatione manente validà; nam licet in rigore & directè non habeat jus talis electus, ut confirmetur; quia tamen electio digni ex lege est confirmanda, & solum ex causa rationabili cassari potest, ideo ex consequente Judex ad quem, invento tali electo digno, ut confirmetur, tenetur ejus electionem confirmare, si non ex jure electi, saltem ex jure Ecclesiæ, volentis electionem non nisi ex rationabili causa cassari. Et hinc pendente tali appellatione, non potest validè alia electio celebrari, cum electus non tantum habeat jus, ut nō infamet; sed etiam, ut ex causa injusta infamante confirmatio sibi non negetur. Pass. n. 29. Ad hæc, ut Idem, locum non habet hæc objectio, ubi cum electo simul appellant eligentes, habentes jus ad confirmationem electi.

Questio 305. An, ubi confirmator in decreto cassationis nullam assignat causam cassationis electionis, vel assignat in confuso per clausulam: ex causis nobis bene visis; electus, qui non habet alius jus ad confirmationem, possit appellare à tali decreto?

Respond. affirmativè Pass. cit. n. 34. n. 32. ubi ait: non obstante, quòd Barbofa teneat, electum talem in hoc casu debere credere, cassationem factam ob bonum commune, & non ob defectum sui. Et quòd Bannez dicat, in hoc casu temerarium esse, judicare, quòd cassatio facta ob defectum electi; dicendum tamen, non posse electo negari in hoc casu appellationem, nisi constet de opposito, nempe cassationem factam non ob defectum electi. Rationem etiam dat, quòd si ex hoc non liceret appellare, quia in sententia non exprimitur causa, & ideo sententia non gravet, vix unquam liceat appellare, cum necesse non sit; Judicem exprimere causam in sententia, ut Abb. in cap. examinata, de Judic. n. 8. & in cap. sicut nobis, de re

judicat. n. 11. & sic foret in potestate Judicum impedire justam appellationem, non exprimendo in sententia causam, Quin &, ut Pass. n. 33. licet, dum confirmator simpliciter cassat electionem, præsumendum sit, eam non cassari vitio personæ; nihilominus relinquitur locus aliquis præsumptioni contrariæ, maxime ex eo, quòd constet, electionem legitimè celebratam rarius cassari purè ob bonum commune; & sic frequenter talis cassatio conjuncta sit cum morali certitudine de defectu electi, & ita conjuncta cum ejus infamia. Quin & quòd vel ex hoc ipso, quòd non constet, electionem non fuisse cassatam ob defectum electi, electus interim, ejusque honor & fama sit cogitantium & loquentium arbitrio subjecta & exposita; adeoque cum electus, etsi ad confirmationem jus non habeat, habeat tamen jus, ut ex cassatione electionis ejus fama non vacillet, adeoque habeat jus, ut appellando se suumque honorem & famam tueatur.

Questio 306. An, & quo jure electio facta pendente appellatione, etiam extrajudiciali, interposita à cassatione prioris electionis sit attentata, & an, si confirmetur hæc secunda electio, tam ea, quàm confirmatio ejus, saltem justificata appellatione, sit cassanda: uti & quævis alia provisio, pendente appellatione facta?

1. **R**espondeo ad primum affirmativè. Pass. cit. c. 34. n. 42. citans Abb. in cap. cum nobis, de elect. n. 17. & 8. Barbof. l. 2. voto 35. Castell. de elect. c. 4. n. 59. & c. 14. n. 42. Portell. p. 2. cas. 4. v. ad secundum. Peyr. in formul. lit. C. c. 18. n. 18. Donat. p. 2. ir. 7. q. 14. n. 3. & plurimos alios, secundum quod in specie de electione ad cathedrales & regulares Ecclesias statuitur in c. si postquam, de elect. in 6. & jam prius decretum fuerat in cap. consideravimus, de elect. de appellatione interposita apud Papam.

2. Respondeo ad secundum: cassanda non tantum jure positivo, sed & ex lege naturæ; quòd enim per citatas similisve decretales, quò ad hoc præsens punctum sic disponitur, non esse merè statutum juris positivi, sed esse quoque legem naturalem, tradit Pass. cit. n. 42. eò quòd ex vi legis Justitiæ non potest appellatus ad Superiorem contra vim appellationis, & in gravamen se defendentis per imploratam Superioris auctoritatem agere validè, firmiter & indissolubiler, quin Superior, justificata appellatione non possit sic gesta revocare prout Justitia postulaverit, & ad bonum commune expedire visum fuerit. Unde quòd statuitur in cit. c. consideravimus. & c. si postquam, secundum substantiam extendit ad omnem electionem factam post appellationem, quia non est purè statutum legis positivæ, sed & præceptum naturale; non obstante, quòd Rota decisi. 44. de appell. in novis. senserit, c. si postquam. non loqui de inferioribus Ecclesiis. Nam quidquid sit de hoc, in quantum dicta decretalis est lex positiva, eadem, in quantum secundum substantiam est lex naturalis, omnes electiones comprehendit. Pass. n. 43. Neque obstante, quòd non sit de lege naturæ, electum ex electione acquirere jus ad confirmationem: nam sufficit, quòd ex lege positiva acquirat hoc jus, & eo sic acquisito, subintrat lex illa naturæ ad defendendum illud. Pass. ibid. Quin &, ut Idem addit, lex naturæ absolute vult, ut gesta lite pendente in præjudicium

ejus,